

## FRIDERICI III. IMP.

VITA, PER FRIDERICUM NAU-  
SEAM BLANCICAMPIANUMEpiscopum Viennensem summarie  
descripta.

FRIDERICVS ROMANORVM REX ATQVE

*Imperator, ad quem etiam Aeneas Sylvius Picco-**lamineus De ortu & autoritate Romani Im-**perii scripsit, huius fuit nominis tertius, à re &**nomine Fridericus appellari coeptus, utpote cogno-**mento pacificus: quoniam pacis fuerit atque otii nullo non tempore**studiosissimus; nihil habens ab initio antiquius tuenda pacis studio,**servans & faciens ubique pacem. Prius Archidux Austria, Stiriae**ac Carinthiae Dux, Comes Tirolis & ab Habsburg, Ernesti Ducis Fi-**lius, ab inclitissimis suis maioribus nec religione, nec fide, nec doctri-**na, nec pietate, nec probitate degenerans: nimirum vehementissi-**mus sacrosanctae nostrae fidei & religionis Zelator, primum semper**regnum Dei quaerens: atq; propter hoc felix idemq; beatus esse habe-**rique coepit. Huius argumento majorum vestigia secutus, ac pro-**bans quod dici solet, Hierosolymis fuisse laudabile esse, sanctam civi-**tatem religiosa peregrinatione suscepta venerabundus accessit: unde**feliciter reversus, & ab animi & corporis & fortuna dotibus ma-**gnopere commendatus, post Alberti Romanorum, Hungariae, Boe-**miæq; Regis & Austriae Ducis obitum, concordia principum Electo-**rum suffragio Romani imperii fascibus & adornatus, Anno post**Christum natum M. CCCC. XL. Qui deinde ducta Lusitanici uxore**sanguinis Heleonora, cum in Italiam transcendisset ad Nicolaum V.**Pont. Max. pro Imperiali diademate adipiscendo profectus, ab eo**nullo non honoris genere exceptus est, illi & uxori Imperiali corona*

I

*Paris studium**Zelus fidei**Peregrinatio Hierosolymitana**Dotis animi corporis**Electio**Coronatio*